



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 13. Apologia major S. Athansii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV.

A. C. 353.

§. XIII.

*Apologia major S. Athanasii.*

Circa idem tempus S. Athanasius suam illam Apologiam majorem scripsit, quæ pro secunda haberi solebat, & omnia innocentiae ejus argumenta continet. Ad amicos suos eam direxit, atque duo potissimum sibi probanda proposuit, primo causam suam nulli amplius examini fuisse subjiciendam, postquam in Conciliis Alexandrino, Romano, & Sardicensi solemniter fuerat judicata, & Conciliorum sententia per retractationem Ursacii, & Valentis confirmata; secundo sententiam, pro se latam, quoad substantiam solide in rei veritate, & causæ æquitate fuisse fundatam. Propria S. Athanasii verba non nisi in brevi Præfatione, & Epilogo leguntur, totum autem Apologiæ corpus documentis ad ejus defensionem servientibus juxta divisionem, modo dictam, constabat. Nempe primo suæ defensionis historiam refert, incipiens a Concilio Alexandrino anno 334. & concludens in retractatione Ursacii, & Valentis anno 349. deinde ostendit, eos, a quibus fuisset absolutus, nec humano favore, nec timore fuisse turbatos, sed solo justitiæ amore permotos. Hunc in finem omnes calumnias in se confictas ab initio memorat, nempe conjurationem

p. 722.

p. 777.



nem Arianorum cum Meletianis statim Sæculum IV.  
A. C. 353.  
post suam ad Episcopatum Electionem  
tum causam Ischyrae, & Arsenii, Acta  
Concilii Tyriensis, delegationem in Ma-  
reotidem, & suam relegationem Trevi-  
ros, tandem Epistolam Constantini ju-  
nioris, se ab exilio revocantis, addit.  
Quæ in fine de Liberii, & Osi lapsu di-  
cuntur, serius adjuncta videntur, nam  
ex totius Apologiæ contextu apparet,  
scriptam fuisse, antequam Ursacius, &  
Valens a sua retractatione resiliissent, aut  
saltem antequam de eorum repetita per-  
fidia S. Athanasius rescivisset.

## §. XIV.

*Liberius vult Concilium celebrari.*

Ubi Liberio Papæ relatum, quam im- Fragm. ep.  
ap. Baron.  
an. 353. n. 19.  
& in frag.  
Hilar. p. 426.  
becilliter Vincentius Capuanus, ejus  
in Concilio Arelatensi Legatus, Arianis  
cessisset, maximo dolore tactus est. De  
hac afflictione sua ita in Epistola ad O-  
sium: *Magnam spem in Vincentio posue-  
ram, quod scirem, hanc causam ipsi esse  
plene perspectam, cujus tecum jam se-  
pius judex fuisset; ut non solum profecit  
nihil, sed & ipse ignaviter dissimula-  
vit non ferenda. Multiplici dolore tor-  
queor; hoc autem apud me statui, potius  
pro Deo mori, quam sententiam iniquam  
meo calculo approbare.* Vult dicere, quod